fecerat, die ſeptimo; quod reſpondet neceſſariò operibus Verbi dictis in ſex diebus.

48. Eadem diſtinctio indicatur rurſus in additâ benedictione & ſanctificatione diei ſeptimi:

49. *quia quieverit in eo Deus ab omni opere*, nempe ſex dierum; *quod creaverat Deus*, nempe in principio, *ut faceret*, agitando nempe & formando ulterius.

50. *Deniq;* conjunctim iterum eorundem mentio eſt in initio *tertiæ periodi* hiſtoriæ originum, *de gubernatione*.

51. Ubi dicitur 1. *Iſtæ ſunt tholedoth* h.e. *generationes cœli & terræ, quando creata ſunt*, quod reſpondet rurſus operi dicto in principio:

52. 2. *in die quâ fecit Jehovah Ælohim terram & cœlos*; ubi demum præter nomen ÆLOHIM hactenus uſurpatum, legitur etiam nomen JEHOVÆ conjunctim,